

400

398

404

394

409

389

449

349

499

299

Ende

Anfang

389

meam supellectilem ponerem et in ea dormirem et in refectorio
communi dominorum mercatorum manducarem, quamdiu ibi man-
surus essem, quod et feci: regressus enim sum in hospitium et
omnia mea tuli, inferens in cellam praefatam, et mansi inter
mercatores, nunc ab isto, nunc ab illo invitatus, inter quos de-
gens recuperavi vires meas notabiliter in mari deperditas et
reassumsi cornua et speciem meam solitam. Dicebant enim noti
mei, quod in primo meo aspectu, quando intravi fonticum, vix
poterant me cognoscere propter maciem et pallorem et defec-
tionem. Sic ergo transiit illa dies.

Una die intravi hospitia dominorum peregrinorum et inveni
aliquos jam recessisse a Venetiis, alii vero ad recessum se dispo-
nebant, qui libenter vidissent, quod cum eis remeassem, sed col-
ligaveram me mercatoribus de Ulma, cum quibus redire volebam.
Valediximus ergo nobis invicem, et non absque lachrimis separati
sumus, praecipue tamen dominus Johannes Laczinus, Hungarus,
archidiaconus Transylvaniensis, de quo saepe facta est mentio,
cum ingenti fletu a me divisus est, et ego ab eo non cum minori
tristitia et moerore recessi, et ita diem illum cum sociis et dominis
peregrinis transegi, qui in crastinum volebant mane recedere.

Decima die, quae est S. Pauli, primi eremitae, invitavit me
in hospitium suum magnificus vir, dominus Burchardus de Brai-
tenbach, decanus majoris ecclesiae Moguntinensis, et contulimus
de confiando peregrinali et de concordia confectorum, libenter-
que vidisset, quod statim secum Moguntiam perrexissem, sed sic
fieri non potuit, quia officium praedicaturae in Ulma mihi provi-
dere incumbebat ex obedientia ordinis. Sicque dies illa iterum
transiit.

Undecima die, quae erat dominica infra octavas epiphaniae,
Missa lecta et audita, audivi, quosdam Teutonicos velle navigare
in Paduam, et statim reverti, et quia mercatores illi, cum quibus
recedere disposueram, nondum parati erant, associavi me naviga-
turi Paduam, ut et reliquias ibi viderem et ecclesias et mona-
steria et civitatem. Navigavimus ergo sero extra Venetias et ad
extremum sinum (208 a) Adriatici maris navigavimus, non in
galea, nec in barca, sed in barchozza, quae sunt naves semper
ascendentes et descendentes de Venetiis Paduam. Cumque ad
maris limbum venissemus, in littus omnes exivimus, non longe

